

(X2007292)

Ya
926

De Schola Budisfinensi novantiqua

ORATIONUM SCHOLASTICARUM

LINEÆ,

in Dedicacione

Scholæ Novantiquæ Evangelicæ Budisfinæ XIX

Kal. Jan. anni clo CIC XLVI

ductæ

â

JOHANNES Theill Naumburg. M. P. L. C.

ejusd. Rectore,

nunc demum prelo subjectæ

GORLITII

apud Mart. Hermannum anno clo CIC L.



Ya
926

finij. 94



Magnifico & Amplissimo
Senatui Budisino,

Viris

Nobilibus, Consultissimis, Experientissimis,
Clarissimis, Prudentissimis, Integerrimis,

Dnn. Consul. Syndico, Prætoribus,

Camerar. Senator. & Scabinis,

Patronis, Promotoribus & Fautorib.

colendis, honorandis, amandis,

J O H A N N E S Z H E T Z E

Sal. & Observ.



Novennium jam est integrum, Magni Pa-
troni, quo ego à rectione Scholæ Patriæ, cui
sexennalem operam impenderam, ad guber-
nationem celebris hujus Scholæ Vestræ legiti-
mè & absq; ambitione vocatus fui atq; accer-
situs, cujus etiam Spartæ auspiciis die tum
nono Decembris solenni Oratione de Exer-
cationibus Literatorum in tribus linguis Cardinalibus non abs-
que applausû, ut mihi quidem videre visus sum, & congratulatio-
nibus votivis feci. Interea temporis factum est, ut ante hos quatu-
or annos, gliscentibus adhuc bellorum, quibus tota conflagratura
videbatur Germania, civilium non tam scintillis quàm incendiis,
nos tamen ex edificio hætenus conducto in sedes Musarum Budis-
sinarum a vitas, in Scholasticum, inquam, Pomœrium, solenni pro-
cessu, Vobis præeuntibus, deduceremur, & ipse autoritate publicâ
verborum aliquid facere juberer. Festinandum sanè erat, & quod
sub manum caderet, aut proferendum aut abjiciendum. Natus ita-
que mihi est hic partus, cæcus sanè ipse, nisi ego canis non essem. Mi-
randum tamen nonnullos inventos fuisse, qui tollendum censerent.
Ausus proinde sum edere, tum ne abortum fecisse quis putet, tum ne
elephantos æmulari perhibear, quos decem annos parturire com-
munis ex Plinio est persuasio, licet Aristoteles ad pauciores contra-
xerit. Et quanquam interea vel elimare, namq; & me non invito,
A 2 qui

quidam meliora volent, vel augere etiam siue voluissem, siue debuissem, tamen nudum illum, uti tum temporis excussus infans fuerat, vagitum recentare magis placuit. Nec adeò dicendus fuero differuisse, ecquì enim in istà hoc fieret penurià? sed vice cotis fun-
Et us disserturos potiùs exacuiffe: exacuere certè volui Mercurium, exprimens non quidem bifrontem illum, sed quadratum potiùs & cubiformem.


Ad Vos autem, Magni Patroni, ire volui, quia debui veteri de jure, quo vernaculi Dominis suis mancipantur, in quorum villis & ædibus concepti fuerunt atq; prognati. Accedit & illud, quòd Vestra heic acta fuerit res, non aliena, nisi per accessorium. Adderem istud quoq; patrociniò indigere hunc clientulum, nisi, quæ sua quasi fiducia est, adeò certè hoc sibi promitteret, ut vel aliis de eo polliceri ausit & stipulari. Tandem, si alia omnia deficerent, testanda sanè fuit illa, quæ,

si natura negat, facit observantia versum:

quam me Vobis, si non ut Diis penatibus, ut Tutelaribus tamen subsidiariis, aut præsidiariis potiùs, debere ingenuè semper fatebor. Valetè, & quâ jam, ex ingenti DEI gratiâ, pace fruimur, ad felicitatem Reipubl. Vestra stabilendam prosperè adhibete, ut, quæ alii agenda eleganter scribunt, Vos scribenda prudenter agatis.

Dab. Budissæ è Muséo Vtò Eidùs Decembreis Anni c1o CIC L.





Ἐν τῷ Θεῷ καὶ πόνῳ.

Habita fuit
in Scholâ
Novantiqâ
die XIV Dec.
anni 1646.



Quod plurimi Vestrum, Amplis-
sime Domine Consul, Viri autoritate Spectatis-
simi, iudicio Consultissimi, pietate Reverendi,
medicinâ Experimentes, eruditione Excellentes, experien-
tiâ Prudentes, scientiâ Clarissimi & quibuscunque vir-
tutibus Ornatusimi, Domini & Patroni colendi, hono-
randi, amandi, saepe quidem repetitis votis exoptave-
runt, plures etiam aliquando fore crediderunt, pau-
ci verò, immò nemo, hoc tempore sperare ausus fu-
it, id hodierno die ex stupendâ Dei Patris, Filii & Spi-

ritûs S. gratiâ ac misericordiâ immensâ factum esse videtis. Ingressi enim su-
mus in nomine SS. Trinitatis in ædes illas antiquas, quæ hætenus dispari do-
mino dominatæ fuerant; migravimus in avitas illas sedes, quas Venerandi & Be-
atissimi Maiores, quorum memoria sit in benedictione, Musis Christianis, Mu-
sis Evangelicis, Musis Lusatiis, Musis Budissinis liberali manu assignaverunt,
concesserunt, asseruerunt; in posterum operas nostras scholasticas in iis exer-
citaturi & continuaturi. Invenimus, quod amisimus, recepimus, quod deside-
ravimus, recuperavimus, quod nobis fuerat præreptum. Quis hoc sperare, quis
sibi istud hoc anno promittere ausus fuisset, quis sponsionem de eo facere, aut
pignus suæ conjecturæ ponere? A deo enim hætenus fremuit, frenduit, rabuit,
rapuit, fudit, tutudit, horruit, terruit, torruit, ussit, concussit, interemit, popula-
vit, desolavit, ferro & flammâ, hastâ & gladio, horrore & fragore, torturis &
pressuris, tyrannica illa, furiosa, immisericors & planè diabolica bestia, quam
clare nominare, ne inauspicatis vocibus hæc sacra nostra polluam, mihi reli-
gio est & infausti ominis metus: dicam tamen mussitabundus M, A, R, S, Mars
est. Legerat forsan, namq; & quandoq; ad Vegetios suos, Frontinos, Livios di-
vertit atq; Tacitos, pomœrium antiquos in condendis urbibus inauguratò
consecravisse, neq; ullum in eo fieri ædificium passos fuisse. Hoc nullus, scili-
cet! Budissinorum legerat, ideoq; iste ad eos retulit, scholamq; ex pomœrio



dissipavit, disjecit & exterminavit. Faustus ergo hic dies est, festus, sacer, celebrandus & fastis inferendus,

nempe Tuus, Schola prisca, venit natalis in auras,
jam dicenda bono sunt bona verba die.

Multa heic maxima, grandia illa & cothurnata, dicenda essent, quæ solenni huic *Dedicationi* congruenter responderent, sed noletis ea, *Amplissimi Auditores*, à me aut expectare aut requirere, ut qui me non tantum ab illa flexanimâ eloquentiâ satis imparatum esse, sed etiam lecythos, ampullas & sesquipedalia facundiosorum verba odisse exploratum habetis. Fungar itaque cum meo Horatio

vixit cotis, acutum

reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi,

dicendaq; aliorum iudicio subijciam, quæ ego cogitavi.

Dicendum hodie esset de *Schola antiquitate & dignitate*, quæ statim in Paradiso ab ipso Deo *plantata*, ab Adamo *instituta*, à Noacho post diluvium *reparata*, ab Abrahamo, patre omnium credentium, *præparata*, à Josepho in Ægyptum *introducenda*, à Moysè & Aarone in deserto *conservata*, à Samuele usq; ad Potestatem Regiam *continuata*, à Rege Davide per Levitas *ordinata*, à Salomone prudentiâ inauditâ Bibliothecâ *instructa*, ab Eliâ & Elisæo fideliter *propagata*, à Daniele per Chaldæam, Persidem & Mediam regicè *diffusa*, à Viris Synagogæ magnæ, Esdrâ Antistite, post barbariem Judææ *vindicata*, ab Hasmonæis, quos vulgo Maccabæos dicunt, *restaurata*, ab omnibus ferme Gentilibus culta, ab ipso deniq; Christo, Salvatore nostro, cum in terris hisce corporali specie versaretur, *sanctificata, visitata, amplificata* & illustrissimo miraculo, Divinitatis certissimo testimonio, *consecrata: nec enim Herodis aut Pilati, nec Channa aut Caiaphæ, summorum Pontificum, filium aliquem, sed laici, Ludi apud Capernaitas Magistri atq; Rectoris, filiam à mortuis resuscitare & vitæ restituere dignatus est.* Sed cui non dictus Hylas? Vetera hæc quis dixerit & obsoleta.

Dicendum esset de *Scholarum utilitate simul atq; necessitate*, quæ omnium in mundo rerum utilitatem longè superat, omniq; necessitate magis est necessaria. Sol omnibus lucet, sed cæcis nihil proderit, nisi in Scholis videre discant. Aer ab omnibus ad vegetandum spiritum hauritur, sed nisi Scholæ purgaverint spiramenta, à bestiis & brutis, à quibus parum differunt ii, qui numquam quidquam in Scholis didicerunt. Quid aquâ utilius, quid igne? Illa

ta-

tamen molares tantum circumaget, & caules inebriabit, non homines; hic
noxam pariet & damnum, nisi verus ejus usus à Prometheo quodam demon-
stretur Scholastico. Absurda Vobis sonare videor, Auditores, sed vera loquor &
maximè probata: *Schola sunt Ecclesie seminaria, Respublica plantaria, Oeconomia
viridaria, Humanitatis viridaria, totius mundi silva & paradysus.* Ex Scholis
prodeunt pii Theologi, animarum custodes; graves Iurisconsulti, tranquillitatis præ-
sides; felices Medici, sanitatis artifices; acuti Philosophi, barbaria vindices. Ex Scho-
lâ prodeunt subtile Metaphysici, ingeniosi Physici, sublimes Mathematici, virtuosus
Ethici, prudentes Politici, seduli Oeconomi, miracula & ornamenta mundi. In Scho-
lis erudiuntur peritissimi linguarum Grammatici, finguntur Poëta, armantur Lo-
gici, expoliuntur Oratores, instituuntur Historici. Nôstis salutationem solennem
VALENTINI TROCEDOREII mille literatis in his regionibus notioris. Sed quid
opus accensam facem præferre huic clariss. soli, qui in mero lucet meridie?

Si cupias mundum tollere, tolle Scholas.

Dicendum esset de *Magistratûs Politici* tum superioris tum inferioris officio
atq; *curâ*, quam ille Scholis ex mandato Dei, ex ratione muneris, ex dictamine
sanæ rationis, ex stimulis conscientiæ, ex amore patriæ & exemplorum ante-
gressorum laude debeat, ut Scholas piè fundet, operosè plantet, magnificè ex-
ornet, liberaliter dotet, decorè amplifcet, prudenter conservet, perpetuò amet,
amanter complectatur, non laceret, non dissipet, non diruat, non devastet: nec
flectatur *gannitibus vulpium* adulantium, nec moveatur *grunnitu* sordidorum
porcorum, nec territetur *minis* hinnientium *caballorum*, ut *asinis* pigris conce-
dat, quæ debentur *bobus* tritoribus, ut lascivientibus *equis* impertiat, quæ labo-
riferis *mulis* (Musis debebam dicere) erant tribuenda, ut *lapis*, quæ *ovibus*, ut
gliribus, quæ *canibus*, ut *balenis*, quæ *delphinis*, ut *brutis*, inquam, porrigat & *be-
stis*, quæ tamen *hominibus* & Deus ordinavit, & hominum liberalitas destina-
vit. Producendi in theatrum essent illa humana Numina, Samueles, Davides,
Elifai, Nebucadnezares, Esdræ, Alexandri, Pompeji, Caroli, Ottones, Henrici,
Alphonsi, Augusti Saxonici, Eundem per vicinam Silesiam, Goldberga, Leo-
berga, Brega, Bethania, Lignicium, Suidnicium, Gorlicium & ipsa mater æne-
is exemplorum figuris effigianda Wratislavia. Verùm enim verò hæc iterum,
ante oculos interquæ manûs sunt omnia nostras.

Clamant & ostentant pleræq; illarum ex ipsis ruderibus & ruinis lateritiis in-
gen-

gentem Magistratus sui curam, ut tantæ molis disjectæ animis admirationem injiciant, oculis lacrimarum rorem exprimant, potiùs temporum injuriam & sæculi infelicitatem accusantibus, quàm Promotorum & Conservatorum curam culpantibus.

Præprimis verò in hac solenni concione justus scribendus erat rerum gestarum Commentarius, & encomiasticus recitandus Panegyricus *Serenissimo & Celsissimo Principi ac Domino, Domino IOHANNI GEORGIO, Sacri Romani Imperii Prætorio Præfecto perpetuo & Electori, Duci Saxonie, Iuliaci, Clivia & Montium, Landgravio Thuringia, Marchioni Misnia & utriusq; huius Lusatie, Burggravio Magdaburgensi, Comiti Marca & Ravensburgi, Domino Ravensteinii, Domino nostro Clementissimo*, quòd ex singulari gratiâ atq; indultu, in medio furentium & gliscentium bellorum tumultu ac strepitu, imperare tamen Enyoni catholicæ voluerit, Musasq; Budissinas antiquas sedes repetere, inq; iis literato suo otio negotiosè fruisi jusserit. Sed ejusmodi Panegyristam exhibebit aula, totiusq; hodierni hujus belli absolutum dabit historia. Peccat sanè, peccat pauper stylus Scholasticus, si sacculo suo includere audeat Principem, cujus ingentia facta vix olympus sub se concludit. Interea subjectissimè & devotissimè precabimur, vivat JOHANNES GEORGIUS Elector, vivat noster Marchio, vivat religionis Evangelicæ destina, vivat Romani Imperii columna. Floreant illustres & generosi ipsius Serenissimæ Celsitudinis in his regionibus Vicarii atq; Optiones, Pro-Marchione, Capitanei, Præfecti & Magistratus quicunq;. Floreant & vigescant.

Hic sanè optandum esset Plinius, Aufonios, Claudianos, Latinos Pacatos Drepanos, Mamertinos, Nazarios, Berneggeros, Heinsios & quos alios? magnos sanè & majorum gentium Oratores! qui illud ingenti ornatus accessione dilatarent, quod nos ingenii culpâ deterimus.

Vobis enim, *Amplissimi Patres, Schola huius senatoria Evangelica legitimi Patroni*, Vobis utraq; & amplior sermonis nostri deberetur pagina, Vobis in hoc Famæ templo perennans gratitudinis esset exstruenda ara, munificentia cippus erigendus, favorisq; monumentum cum insigni tropæo statuminandum. Noachus ædificavit arcam, posteri ipsius turrim Babelicam, pari forsan conatu, sed dispari planè eventu. Noachi arca Dei jussu erat fabrefacta, ideo contra fluctus decumanos immota permansit, & quæ totius orbis urbes disjecerant,

un-

unda navim unicam ne quidem lædere poterant. Moles autem Babelica, quia contra Deum insurrexerat, nec ipsa perstabat, nec architecti, sed discordi garritu blaterantes magno pudore suffusi discedere cogebantur. Arca Noachitica est hæc Schola Vestra, jussu supremi Gubernatoris restaurata, ideò furenteis bellorum fluctus omninò elidet, licet mergi cœperit, submergi tamen non poterit. Faxit Deus, ut post illum, quem superioribus annis sensit, exq; eo feliciter jam eluctata est, nullum sentiat alium ignem, nisi illum, quo tota hæc machina in ultimo die tandem conflabit. Turriculæ hujus impulsa campanula convocabit & congregabit præceptores simul atq; discipulos, non ad pugnam cum Deo ineundam & Angelis, sed cum barbarie, ignorantia & vitiis; non ad linguarum damnatarum confusionem, sed ad sanctificatarum cognitionem; non ad divisionem præcipitem, sed ad distinctionem subtilem. Si hodie viveret Saneballatus cum suis sociennis, cogeretur concedere Budissinorum Patrum profapia, quod olim exprobrabat Nehemiæ: visurus esset lapides vivificatos, cineres excitatos: miraturus esset lacunas oppletas, rimas coactas, parietes obseptas. In libello Esdræ legimus, quòd multi Sacerdotum, seniorum, Levitarum & primores ex tribubus, qui prioris templi splendorem in animo adhuc habebant, acerbè fleverint, postquam templum secundum eductum esset: sed ipsis respondit propheta Domini Chaggæus, gloriam domus posterioris majorem fore & splendorem clariorem habituram præ priore, quod quidem de templi Domino Messia intelligendum fuit. Nos scholasticum hoc ædificium templo Hierosolymitano nec æquamus nec æquiparamus, exeste malevoli! Interim tamen, *si forsan quidam ex presentibus hoc aut illud in Scholâ secundâ desideraturi sint, quod in primâ assuerit, deplorent illi non ædificium, sed seculum, non homines, sed tempora, cogitent nihil simul esse inceptum & consummatum, gloriosius esse in belli tempestate ædificare casulam, quàm in pace arcem.* Nihil sanè in suâ prudentiâ desiderari passus est Consul regens, Amplissimus Vir, Dominus JOACHIMUS WESTPHALUS, nihil in suâ industriâ operarum præfectus & director prudentissimus, Dominus MICHAEL SCHVVACHIUS, nihil in suâ vigilantia ante & post eos Inclitus Senatus; quod publicè heic & grato animo de prædicandum fuit. Potest etiam fieri, quod precamur, ut huic novo operi major accrescat gloria ex pace constabilitâ, quàm habuit vetus in pace disturbatâ. Vetus est Distichon,

B Aedi-

Ædificare domos, multorum pascere ventres,
ad paupertatem proximus est aditus.

Novum est hoc nostrum, sed veteri verius,

Ædificare Scholas, discendum pascere mentes,
ad regnum cœli proximus est aditus.

Qui ædificant Scholas, ædificant Spiritûs S. officinas, aperiunt Iesu Christo portas, congregant Ecclesie seminaria, construunt virtutum conclavia, scientiarum palatia, linguarum & artium templa absoluta ad expugnandam barbariem armamentaria instruunt. Qui Scholas referant, præbent claves humanitatis, tradunt limas expoliendorum morum, & runcinas ad levigandas rudium mentes subministrant. Et hoc Vos impræsentiarum fecistis.

Ingens præterea hîc esset dicendi campus de *artibus* atq; *disciplinis*, deq; *linguarum cardinalium studiis*, quantæ sient utilitatis, quantæ necessitatis, quam variè soleat peccari Iliacos intra muros & extra: Sed hodie tam delicati sunt quidam ex literatis, ut, quoniam domestica Hilarii sui errata ægrè fatentur, manum etiam Medici & calamum reprehensoris Erasmi planè reformident, ideòq; ungues nostros in hoc ulcere non volutabimus.

Recenseri non incommodè possent *officia Præceptorum*, à quibus requiritur *fides, dexteritas, diligentia, assiduitas, prudentia* atq; *industria*, virtutes sanè summæ ac maximæ, quibus erudiant fidei suæ commissos discipulos tum in præcipuis *doctrinæ Christianæ capitibus*, tum in *studiis linguarum & artibus liberalibus*, tum in *moribus & honestis vitæ actionibus*: ut ipsi bono exemplo discipulis suis præluceant, quum *plus valeat inculpatæ vitæ exemplum, quam millia subtilium axiomatum*: ut pii sint ac devoti, non athei aut Epicurèi, *concordes & placidi*, non turbatores contentiosi, non asperi, non austeri aut morosi, sed in adeundo *faciles*, in audiendo *affabiles*, in respondendo *comes*, in conversationibus *iucandi*; nec vinosi aut cerevisiosi, sed *temperantes & sobrii*, animo & corpore *casti*, vagas libidines fugiant, eleganti morum gravitati studeant, omnem prorsus in sermone scurrilitatem atq; ineptias devitent, inq; vestitu ac gestibus turpem levitatis notam avertentur, quum ejusmodi nævis ac vitiis laborantes **Præceptores** omnem autoritatem suam & existimationem apud pueros facilimè amittant ac prostituant: quæ fermè verba sunt legum scholasticarum, Anno supra millesimum quingentesimo nonagesimo sexto publici juris factarum, & antea per HIERONTMUM TREUTLERUM, J C tum celeberrimum, Reipubl. Vestræ

stræ Syndicum consultissimum, oratione piâ & sapiente confirmatarum, quæ ipsæ Leges (discientium etiam officia particulatim recensentes) certo tempore præsentibus & Senatu & Scholæ Inspectoribus recitandæ essent, ut sic iisdem & recitandis & auscultandis & observandis major graviorq; accederet auctoritas. *Familiaria familiariter pronuntiata nescio, quam amittunt gravitatem, vilescunt, & sibi quendam quasi contemptum inobservato adsciunt.* Bellum omnia bella fecit imbellia.

Dici posset sub hoc novum Scholæ auspiciū de eorum, qui in Scholis algere ac desudant, Docentes intelligo, dignitate, cultu ac honore, vel ex vulgato illo verberbio, *Honos alit artes*: recensenda iterum magna Magnatum exempla, quibus clareret, singulari semper honore dignatos & adhuc dignandos esse Scholarum Præceptores, quamquam alii ne ciccum quidem interduint: conquerendum & deplorandum, quantò minùs id hodie in mundo fiat, ab iis etiam, qui hâc in parte aliis exemplo suo efficaci præire debeant, adeò, ut sæpe audimus furoris aut pistoris ditioris magis honorificam fieri in publico mentionem, quàm fidi ac industrii Præceptoris, ut sæpiùs ille secum ambigere incipiat, utrum in aliquo numero sit aut ordine, an verò in nullo. Huic objicitur imperitia, ille invidiam sibi creat suâ scientiâ. huic solitudo vertitur in superbiam, alteri iudicandi libertas in πολυπραγμοσύνη. Eò quandoq; proceditur audaciâ, ut falcem suam in alienam messem misisse dicatur fidelis Doctor, si discipulis hâc aut illa vitia in hoc vel isto ordine commissa & committenda moneat, àq; iis dehortetur. Sed misellus est honor, quem ipse sibi quis extorquet: Lubrica est reverentia, quæ præstat ab invitis: Periculosa est tutela, quam committimus infidis: Ridicula fiducia, quæ collocatur in invidis. Præterea nos omnes & singuli strenuè mentiremur, si quicquam de Vobis, *Amplissimi Domini*, hâc in parte conquereremur, ubi potius publicè nobis prædicandum est, quòd majori nos honore, quàm quo digni umquam fuimus, afficiatis & prosequamini, adeò, ut hâc laus Vestra una sit ex maximis, *Vos Præceptores Scholasticos insigni honore semper meruisse.* Et hoc nobis sufficit, quibus ea demum vera laus est, si à laudatis laudemur.

Dici etiam posset de *Præceptorum industriâ compensandâ*, quod fit *statuto ac ordinario salario*. Ita enim providit Dominus, ut, qui Evangelium doceant, ex Evangelio etiam vivant, namq; & nos Scholasticos Ministros hoc attinere nimis quàm verum est, qui sumus veri illi Catechetæ, qui teneras mentes Chri-

stianæ religionis principiis κατηχησµῶ imbuimus, atq; sic Evangelium reverã
etiam prædicamus. Docemus enim, & docere jussi sumus, testante nostrâ Vo-
catione & Instructione, doctrinam de JESU CHRISTO: Doctrina verò de JESU
CHRISTO est doctrina Evangelii, immò Evangelium ipsum. Proinde æquum,
si non æquale, Doctoribus Scholæ cum Doctoribus Ecclesiæ debetur salarium
& merces. Præceptores Scholastici non sunt Advocati, quos Consilia, non Me-
dici, quos Pharmaca, non Clerici, quos Agrorum Ecclesiasticorum jugera vel
ditent vel sublevant; non Mercatores, quos lætificant marsupia, non Milites,
quos prædæ exhilarant & spolia, non Opifices & Pistoris, qui pane, Textores,
qui panno, Fabri, qui ferro, Cerdones, qui corio, Monetarii, qui auro & argen-
to, sed *miseri, qui solo vivunt salario: Si hoc præbetur, sat beati.*

Dicendum esset; Sed oremus:

Æterne, Omnipotens ac Misericordissime Deus, Scholarum Autor & Fau-
tor omnipotentissime, qui statim in ipso Paradiso ejusmodi fundamenta je-
cisti, ex quibus parvus quidam Tibi colligeretur cœtus, qui Scholas Patriarcha-
les ipse instituisti & visitasti, qui Patris Abrahami futuram Scholam eminus
prævidisti, & divinâ Spiritûs S. voce publicè commendasti, quiq; per Mosen sæ-
pius sæpiusq; de instituendis in lege divinâ liberis retulisti; O æterne Fili Dei Je-
su Christe Θεάνθρωπε, qui Scholas ipse tyrociniis tuo duodecenni solenniter
sanctificasti, & divino resuscitationis ad vitam miraculo scholasticam domum
exaltavisti; O Deus Spiritus Sancte ab utroq; ineffabili modo procedens, qui
semper & ubiq; luce tuæ gratiæ ac septiformi donorum munere in Scholis
tüm Docentes tüm Discipulos illustrasti, confirmasti, confortasti, inq; primâ
novi Testamenti Pentecoste preciosissimum variarum linguarum donum su-
per Apostolos effudisti, Te laudamus, Te celebramus, Te glorificamus, Tibi
gratias agimus, non solum pro innumerabilibus in nos collatis beneficiis, sed
præprimis etiam pro eo, quòd hæctenus in Germaniâ & in hæc nostrâ Lusatiâ
contra tot *Tyrannorum impetus*, contra tot *hostium insultus*, contra tot *heretico-
rum machinationes* callidas per medios ignes, per hastas, tormenta & sagittas,
per acies, per strages & clades, Popellum tamen Scholasticum mirabiliter
protexisti, defendisti & custodivisti, atq; etiam in hæc urbe Budisâ, frementi-
bus licet hæreticis, Tyrannis & prædonibus maximè barbaris, locum publi-
cum ad informandam Juventutem monstrasti & conservasti; Tibi, Domine,
uni-

unicè nos abjecti & sprete Scholastici debemus, quòd non simus *expulsi*, quòd non simus *conculcati*, quòd non simus *consumati*: Tibi, Domine, debemus, quòd hactenus inter strepitum armorum, clangorem tubarum & fragorem bombardarum otiosè & pacatè docere potuimus atq; discere, quòd tum sanctissimum tuum verbum, Legem & Evangelium propagare, tum artes & disciplinas plantare, tum linguas & bonos mores instillare impediti non sumus. Sola tua est hæc potestas, tua gloria, tua misericordia atq; gratia. Hæc effecit, ut hodie postliminio ad has avitas sedes redierimus, à quibus bellum luctuosissimum hactenus exules fecerat atq; extorres. Tua *Sapientia* Senatui nostro animum ad tantum opus moliendum inspiravit, thesaurus *Benignitatis* Tuæ sumtus & impensas suppeditavit, Tua *Potentia* civium corda flexit, ut ad erogandas collectas fuerint prompti ac liberales, Tua *Bonitas* operis benedixit, Tuus *oculus* labores urfit, Tuum *brachium* conatus provexit, & in mediis difficultatibus facilitatem ostendit, ut, quæ paullò antè fuerat *hara*, nunc sit *ara*, quæ paullò antè *caula*, nunc ornata *aula*, quæ nuper bellicorum *Martium*, nunc bonarum *Artium* ac *partium* evaserit habitaculum. Ah protege & sanctifica hoc nobis pomœrium!

Rogamus & obsecramus Te, Deus misericordissime, intende porrò in adiutorium nostrum, expande super nos alas custodiae tuæ, & protege hanc domum, quam dextera Tua plantavit, quam Tibi in peculium elegisti, sint oculi Tui aperti & aures intentæ super domum istam die ac nocte, neu sinas in eam irruere callidas *vulpeculas*, crudeles *leones*, immanes *ursos*, rapaces *lupos*, frendentes *apros*, mordaces *canes*, furaces *feles*; neu sinas in eâ stabulari feroces *equos*, rudes *asinos*, feros *onagros*, foetidos *hircos*, lascivos *tauros*, *dracones* venenatos; neu sinas heic nidulari cruentos *accipitres*, vagantes *milvius*, garrulas *hirundines*, raucos *cuculos*, superbos *parvones*, foetentes *upupas* & *passeres* libidinosos: sed da, ut in eâ sint *oves* sanctitate simplices, *serpentes* prudentiâ callidi, *boves* diligentiam laboriosi, *aquila* alacritate gloriosi & *lusciniæ* in laude tuâ frequentes.

Fac, ut nihil aliud sonet, dicatur, audiatur, excipiatur, discatur & memoretur, quàm *doctrina Evangelii* sancta, *ratio Philosophia* veræ sana, *artium & linguarum scientia* necessaria. Imple nos Spiritu S. CHRISTE JESU, ut simus *in labore* patientes, *in docendo* fideles, *in discendo* assidui, *in tuâ laude* perpetui. Discamus heic in scholis, quod olim cantemus in cœlis; scribamus hoc in mundo,

quod non deleatur in olympo. Largire Tuam gratiam, ut ex hoc candelabro
sumantur *Ecclesia luminaria*, ex hac silvâ *Reipublica fulcra*, ex hac officinâ *Oeco-*
nomia statumina & totius *Humanitatis firmamenta*.

Protege dextrâ virtutis Tuæ Serenissimum Principem nostrum JOHANNEM
GEORGIUM, Religionis verè-Catholicæ ac incorruptæ caput, gubernâ omnia
Ipsius consilia & cogitata, ut in nullum alium, nisi verâ Religionis Evangeli-
cæ, Pacis & Concordiæ, hæctenus heu frustrâ! desideratæ nervum erumpant.
Abige à Rutâ Saxonicâ, à totâ Domo Electorali, *falces* persecutorum, *calces*
contemptorum & *morsus* venenatos hæreticorum, ut sub ejus umbrâ gratissimâ
& salutarî conquiescamus *suti*, agamus *securi*, vivamus *pacati*. Gubernâ consi-
lio, fide & prudentiâ omnes Serenissimæ Celsitudinis Vicarios, Illustres, Ge-
nerosos, Nobiles & Magnificos, Pro-Marchione, Capitaneos, Praefectos & to-
tius Marchionatus Proceres. Præprimis verò votis maximè calidis commen-
damus Tibi, Domine Dominantium, Senaturn nostrum pium, prudentem,
inclitum, Consules & Senatores, imple eos *spiritu* sapientiæ, *expoli* *cote* pru-
dentiæ, *arma* *thorace* justitiæ, *exorna* *pallio* liberalitatis & *lato* *clavo* munificen-
tiæ, ante omnia verò regimen ipsorum collustra exoptatissimo sidere Pacis at-
que Concordiæ, quâ publicæ quâ privatæ. Sint ipsi urbis columnæ, Ecclesiæ
Nutritii, Scholæq; Patroni. Commendamus Tibi, supremae animarum Episco-
pe, Reverendum hujus Ecclesiæ Ministerium, Viros pios, graves, eruditos &
devotos, infunde ipsis Spiritum gratiæ & precum, da virtutem voci ipsorum,
voci Tui tonitruî: effice, ut sint *in precibus* *pro salute nostrâ devoti*, *in fide* *arden-*
tes, *in exhortando assidui*, *in increpando animosi*, *in refutando alacres*, *in consolando*
suaves, *in omnibus tam grati quam graves*. Commendamus Tibi, Paterfamilias
antiquissime, omnes hujus urbis cives atq; incolas, mercatores, opifices & o-
perarios, da illis *amorem* in patriam fervidum, laboris subeundi *studium* inde-
fessum, *cor* *arum* *narum* *patiens*, *corpusq;* quorumvis insultum *tolerans*, ut ma-
neant Magistratui *fideles*, in religione *constantes*, in quocunq; infortunio *tole-*
rantes. Subveni eis in omnibus *anxietatibus*, succurre in *calamitatibus*, dita in
exactionibus, largire in *contributionibus*: supple *lacunas*, refice *ruinas*, solare *ino-*
piam, prohibe *famem*, averte *incendia*, & quæcunq; numerare non possum, rei
familiaris depelle *incommoda*. Clementissime Deus, Medice probatissime, fac,
ut sit apud omnes & singulos mens sana in corpore sano. Benignissime Domi-
ne, Deus omniscie, exhibe nobis illa omnia, quæcunq; ad nostram salutem
lon-

longè meliùs & priùs, quàm nos, vides profutura. Tandem, ut omnes & singuli, quicunq; heic sumus congregati, proq; quibus heic sumus precati, olim post exantlatos hujus mundi labores ac molestias ad æternum interminatæ beatitudinis portum feliciter appellamus, quod in posterum assiduum erit votum hujus Tuæ Sareptæ.

Domine, benedicas nobis, & custodias nos!

Domine, illumines faciem Tuam super nos, & esto nobis propitius!

Domine, exaltes faciem Tuam super nos, & concedas nobis Pacem!



[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, likely bleed-through. The text is largely illegible due to its faintness and orientation.]

[Handwritten blue ink scribbles or markings, possibly initials or a signature, located in the upper portion of the page.]



Vd 7



Q. K. 145, 19.

De Schola Budissinensi

ORATIONUM SCHOLÆ
LINEARUM

in Dedicatōne

Scholæ Novantiquæ Evangelicæ
Kal. Jan. anni

ducti

JOHANNES Theill Na
ejusd. Re
nunc demum

GORT

apud Mart. Hermann



Ya
926



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

